Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

quidem sillogismo. alter vero inductioni supponitur. In quibus quidem
promptum sit considerare quod ille quidem a sillogismo. ille vero ab inductione
ducat exordium. nec tamen aut hic sillogismum. aut ille impleat in
ductionem. Hec autem sunt emptimema. atque exemplum. Emptimema
quippe est imperfectus sillogismus. id est oratio in qua non omnibus antea propositi
onibus constitutis infertur festinata conclusio. Ut si quis sic dicat. Homo
animal est. Substantia igitur est. Pretermisit enim alteram propositionem qua
proponitur omne animal esse substantiam. Ergo quoniam emptimema ab universali
bus ad particularia probanda contendit. quasi simile sillogismo est.
Quod vero non omnibus que conveniunt sillogismo propositionibus utitur. a sil
logismi ratione discedit. atque ideo imperfectus vocatur esse sillogismus.
t dissidet Exemplum quoque inductioni simili ratione et copulatur et ab ea disce
dit. Est enim exemplum quod per particulare propositum particulare
quoddam contendat ostendere. hoc modo. Oportet a tullio consule neca
ri catilinam. cum a scipione graccus fuerit interemptus. ~~que utraque~~
Approbatum est enim catilinam a cicerone debere perimi. quod a scipione
graccus fuerit interemptus. que utraque particularia esse ac non univer
salia singularum designat impositio personarum. Quoniam igitur ex parte partem
approbat. quasi inductionis similitudinem tenet. id quod exemplum vo
catur. Quoniam vero non plures quibus id efficiat colligit partes. ab inductione
discedit. Ita igitur sunt due quidem argumentandi species principales. Una
que dicitur sillogismus. altera que vocatur inductio. Sub his autem et velut
ex his manantia sunt entimema atque exemplum. Que quidem omnia
ex sillogismo ducuntur. et ex sillogismo vires accipiunt. Sive e
nim sit entimema sive inductio sive etiam exemplum. ex sillogis
mo quam maxime fidem capit. quod in prioribus resolutoriis quos ab ari
stotile transtulimus demonstratum est. Quocirca satis est de sillogismo
disserere. quasi principali et ceteras argumentandi species continente. Restat
nunc quid sit locus aperire. Locus namque est ut marco tullio placet
argumenti sedes. Cuius diffinitionis que sit vis paucis absolvam.
Argumenti enim sedes partim maxima propositio intelligi potest.
partim propositionis maxime differentia. Nam cum sint alie
propositiones que cum per se note sint. tamen nichil ulterius habeant